Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

70

tibi peccata tua. Et ceperunt cogitare scribe et pharisei dicentes.
Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata
nisi solus deus? Ut cognovit autem iesus cogitaciones eorum: respondens dixit
ad illos. Quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere dimittuntur tibi
peccata: an dicere surge et ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis potesta
tem habet in terra dimittendi peccata: ait paralytico. Tibi dico surge:
tolle lectum tuum. et vade in domum tuam. Et confestim surgens coram illis tulit
lectum in quo iacebat: et abiit in domum suam magnificans deum. Et stupor
apprehendit omnes: et magnificabant deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia
vidimus mirabilia hodie. Sabbato. Iohel. prophete.
Haec dicit dominus. Effundam de spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt
filii vestri et filie vestre: senes vestri sompnia sompniabunt: et iuvenes
vestri visiones videbunt: Sed et super servos meos et ancillas meas in diebus
illis effundam de spiritu meo: et dabo prodigia in celo et in terra: sanguinem et
ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem: an
te quam veniat dies domini magnus et horribilis. Et erit: omnis quicumque
invocaverit nomen domini salvus erit. l. l. levitici.
In diebus illis. Locutus est dominus ad moysen dicens: Loquere filiis israel: et dices
ad eos. Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis. et messueritis segetem.
feretis manipulos spicarum primicias messis vestre ad sacerdotem. Qui eleva
bit fasciculum coram domino ut acceptabilis sit pro vobis. altero autem die sabbati: et
sanctificabit illum. Numerabitis ergo ab ipso die in quo obtulistis manipulos
primiciarum septem ebdomadas plenas usque ad alteram diem expleccionis ebdoma
de septime: et sic offeretis sacrificium novum domino ex omnibus habitaculis vestris.
panes primiciarum duos. de duabus decimis simile quos elevabit sacerdos
coram domino: et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum. Omne opus
servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis
habitaculis et generacionibus vestris. Dicit dominus omnipotens. l. l. Deutronomii.
In diebus illis. Dixit moyses. Audi israel que ego precipio tibi hodie. Cum in
traveris terram quam dominus deus tuus tibi daturus est possidendam et obtinue
ris eam atque habitaveris in illa: tolles de cunctis frugibus tuis primicias et